



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarragonensis Dialogorum
Libri Duo de emendatione Gratiani**

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

De Antonio Avgvstino Antonij Augustini patre.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

que magnos viros s̄epius errasse facile ostendant. His igitur, qui nihil ignorant, nihil scribendum esse censimus; quando ad eos qui vitam Epicureorum deorum in terris degunt, nulla beatitatis accessio fiet. medicis hos tantum committendos esse putamus. Studiosorum verò, hoc est, corum qui discendi cupiditate tenentur, duplex etiam genus est, juris præfertim civilis. qua de re nunc agitur. Alteri enim nocere existimant linguarum peritiam, antiquitatis cognitionem, differendi aut dicendi artem, & ceteras disciplinas: quibus tamen veteres Iurisconsultos exornatos fuisse negare non possunt. Alteri his omnibus libenter operam dant, & ceterorum ignaviam, quam etiam stupiditatem appellant, vehementer irrident. Vtrosque admonendos esse potius quam irritandos semper censui. Peccare enim quosdam ex utroque genere hominum video, dum præter modum aut hi suavitate dictiōnis atque ornamentorum capti, minus in hanc ipsam disciplinam incumbunt; aut illi nec sententijs sibi ipsis constant, in utrisque harent, artis docendi rudes atque imperiti. Vtrisque Iuliani Anteceſſoris Novellarum librum proferimus, ut imitentur &c.

DE ANTONIO AVGUSTINO

Antonij Augustini patre.

Ex libro v. historiarum de rebus gestis Francisci Ximenij Cardinalis, auctore Alvaro Gometio Toletano. qui libri sunt penes me auctiores.

Antonius Augustinus regnorum Aragoniæ Pro-Cancellarius, Reip. malè gestæ insimulatus, in Septimancam arcem gravi custodia servandus missus est.

Quibus hac addenda sunt, ut auctor adjicienda curavit. Sed hic anno insequenti, regni summa Francisco

Ximenio Cardinale moderante, vadibus datis, custodia abiit. Antonius tamen honori suo consulens, de Ximenij voluntate, qui primo quoque tempore, postquam Rempub. gerendam suscepit, Antonij causam terminandam curaverat, ad Belgas concessit, Caroli quinti cognitionem imploraturus. Totius litis bene instructus index, & antea cætæ vitæ testimonium sigillo regio obsignatum à Ximenio & supremi ordinis judicibus, ad Carolum mittitur! Causa I. Salvagio Cancellariæ præfecto, Garsiæ Padillæ viro optimo & integerrimo, Commendatorio Calatravensi, Maximo Montelto regenti, & Lodoico fisci advocate, viris prudentibus & juris utriusque apprime consultis, iterum inspicienda traditur. Qui accurate literam retractantes, rursusque Antonio facultatem concedentes alia in sui patrocinium allegandi, cum nihil ille amplius adjiceret, prima scilicet, quæ apud Hispaniam facta fuit, defensione contentus, viri optimi innocentia perspecta, omnium judicum calculis absolutus, Bruxellis in totius aulae Palatinæ conspectu, sententia dignitas & honorificientia plena secundum ipsum pronunciatur anno Dom. cI^o. I^o. XVI. A. D. IX. KAL. Octob. Quod pergratum Ximenio accidit & ceteris supremi ordinis judicibus, qui Antonij Augustini integratatem & præstantiam multis jam olim experimentis noverant.

